

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0444**

**0442**

**0448**

**0438**

**0453**

**0433**

**0493**

**0393**

**0543**

**0343**

**0943**

**Ende**

**Anfang**

430

audiens bestia dixit, quod numquam ita libenter portasset aliquem hominem, sicut illum Machometum. Et ita Machometus ascendit et Gabriel staffam vel strepam sibi tenuit et cum in bestia sederet, advenit magna multitudo angelorum circumstantes bestiam. Coepit autem bestia tam suaviter et leviter [incedere], quod nemo potest dicere et cum hoc ita repente processit, sicut flat ventus, et venit usque in Jerusalem ad templum, ubi invenit omnes patriarchas et prophetas missos a Deo, ut eum honorarent, et multa mira fuerunt sibi ibi ostensa. Cum hac fabula multos simplices seduxit Machometus; quadam autem die, cum eam vulgo ingenti praedicaret, recesserunt ab eo sexaginta millia hominum, fictionem intelligentes. Haec fabula ponitur in Fortalito fidei Libr. IV., de bell. Sarracenorū, Cap. de fundamento legum Machomet. Putavit forte Sarracenus Calinus noster, quod hoc nomen Albaroch aliquid divinum in se haberet, quod menti meae me nolente vel nesciente inhaerere posset. Sed stultitia est inhumana in Alchorano illo phantasticissimo.

### Regio satis mirabilis.

Decima septima die mane diu ante lucem de praedicto torrente consurreximus et oneratis bestiis mox de ipso torrente ascendimus clivum dextri lateris et in alium latum torrentem ab alia parte descendimus. Erat autem torrens ille asperimus et saxosus, cuius saxa, petrae et lapides erant nigri, ac si in igne jacuissent, superiora autem montium utriusque lateris erant albissima, ac si nive nova essent conspersa, nives tamen illae nullae erant et forte numquam fuerunt nec erunt, sicut nec inferius erat ignis denigrans lapides, sed sol mira sua virtute hos denigrat et illos dealbat. Sic etiam sua virtute quaedam mollificat, alia indurat, quaedam dulcia reddit, alia amara facit, contrarias una virtute inducens qualitates, secundum materiae subjectae dispositionem. In processu venimus in torrentis latiora loca et ventum frigidissimum contrarium habuimus, quo non modicum afflicti frigore fuimus, et optavimus habere vestes hemales. Deinde limbum torrentis ascendimus et ab alia parte in grandem vallem descendimus, quae non

